



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput II. De humili submissione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

perfecte tibiipſi mortuus; nec ſegregatus ab omnibus terrenis.

Nil ſic maculat, & implicat cor hominis, ſicut impurus amor in creaturis.

Si renuis conſolari exterius, poteris ſpeculari cœleſtia, & frequenter jubilarre interius.

CAPUT II.

De humili ſubmiſſione.

I. Non magni pendas, quis pro te, vel contra te fit, ſed hoc age, & cura ut Deus tecum ſit in omni re, quam facis.

Habeas conſcientiam bonam, & Deus bene te deſenſabit.

Quem enim Deus adjuvare voluerit, nullius perverſitas nocere poterit.

Si tu ſcis tacere, & pati, videbis procul dubio auxilium Domini.

Ipſe novit tempus, & modum liberandi te, & ideo te debes illi reſignare.

Dei

Dei est adjuvare, & ab omni confusione liberare.

Sæpe valde prodest ad majorem humilitatem servandam, quod defectus nostros alii sciunt, & redarguunt.

2. Quando homo pro defectibus suis se humiliat, tunc faciliter alios placat, & leviter satisfacit sibi irascentibus.

Humilem Deus protegit, & liberat: humilem diligit, & consolatur: humili homini se inclinat: humili largitur magnam gratiam, & post suam depressionem levat ad gloriam.

Humili sua secreta revelat, & ad se dulciter trahit, & invitat.

Humilis, accepta confusione, satis bene est in pace: quia stat in Deo, & non in mundo.

Non reputes te aliquid profecisse, nisi, omnibus inferiorem te esse sentias.